

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVI- N. 2

1984

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICIS IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1984

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Epistula Apostolica de urbe Ierusalem	105
Ex Adhortatione Apostolica de Reconciliatione et Poenitentia in hodierno Ecclesiae munere	110
Messaggio del Papa all'88° Katholikentag: « tutelare la dignità della persona nei suoi inalienabili diritti »	122
Messaggio del Papa al Congresso di Ottawa: « Il ruolo dei canonisti nella vita della Chiesa »	125

Allocutiones

Ex allocutione ad eos qui conventui quorundam Praesidium coetuum legibus ferendis ex Europa interfuerunt, coram admissos	128
Ex allocutione ad quosdam Mexici episcopos occasione offerta « ad limina » visitationis	132
Allocutio ad Praelatos Auditores S. Romanae Rotae coram admissos	134
Ex allocutione ad eos qui plenario coetui pro Familia interfuerunt	140

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetum studiorum labores	
I. Coetus studiorum « De Normis Generalibus » (Sessio I ^a)	143
II. Coetus studiorum « De Sacra Hierarchia » (Sessio I ^a)	158
III. Coetus studiorum « De institutis Perfectionis » (Sessio I ^a)	196

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	240
---------------------------------------	-----

DOCUMENTA

I. La communion ecclésiiale dans le nouveau C ^o de de droit canon	242
II. Una norma generale (Sacri ministri e potere civile)	267

NOTITIAE	271
--------------------	-----

Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	272
--	-----

Ex Actis Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo

OPERA CONSULTORUM IN APPARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS

I COETUS STUDIORUM DE NORMIS GENERALIBUS

Sessio I
(diebus 24-27 maii 1966 habita)

Inde a die 24 Maii ad diem 27 Maii 1966 in aula Sedis Commissionis Iuris Canonici recognoscendo convenerunt consultores, designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas generales Codicis.

Quaestio a Secretaria Commissionis proposita erat sequens: « quae-
nam sint addenda, supprimenda aut mutanda circa disciplinam:

- a) de legibus;
- b) de consuetudine ».

I. AD DISCIPLINAM « DE LEGIBUS » QUOD ATTINET

1. QUAESTIONES PRAELIMINARES

1) Imprimis mota est quaestio utrum in Codice affirmari debeat *ius Ecclesiae leges ferendi*. Contra propositionem factam a quodam consultore, iuxta quam Titulus de legibus initium sumere deberet a principio fundamentalis de potestate Ecclesiae legifera, plerique aestimant nihil de hac Ecclesiae potestate esse asserendum; haec potestas

supponi debet; insuper talis affirmatio, quae in Codicibus civilibus non habetur, ad doctrinam pertinet, non ad legislationem.

2) Alia quaestio mota est, scilicet utrum dari debeat *definitio legis ecclesiasticae*, iuxta propositionem in voto suo factam ab alio consultore, qui in § 1 canonis 8 inserendam aestimat definitionem S. Thomae: « Lex est rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata ». Plerique censent nullam dari debere definitionem legis: ut notat aliquis, legislator non debet dare definitiones, sed debet leges ferre; insuper, ad definitionem S. Thomae quod attinet, nimis lata est, quia complectitur etiam praecepta; est insuper qui animadvertit, legislatorem abstinere debere a definitionibus quae non sunt omnino necessariae, quia omnis definitio in iure est periculosa. Conveniunt ergo plerique in dando responso negativo: sedulo distinguere debent quae sunt Codificationis et quae sunt opus doctrinae.

3) Quaestio etiam ponitur utrum canon sit inserendus determinans *quinam sunt legislatores in Ecclesia*. Responsum, de quo conveniunt omnes est: postea forsitan quaestio haec poni potest; cum autem moveatur quaestio de Codice Ecclesiae fundamentalis, in quo certius ageretur de iis qui potestatem legiferam in Ecclesia exercent, expectandum est.

4) Quaestio etiam movetur *de legibus divinis*, utrum affirmari debeat potestas Ecclesiae easdem proponendi et authentice declarandi. Proposuit in voto suo Consultor ut in can. 8, § 1 addatur: « Leges divinae, sive naturales sive positivae a Magisterio Ecclesiae proponuntur, declarantur et definiuntur », dum altera § ageret de legibus mere ecclesiasticis. Plerique aestimant talem paragraphum non esse inserendam, quia quaestio respicit Magisterium Ecclesiae, de quo non agitur sub titulo de legibus.

5) Quaestio tandem movetur *de legis obligatione in conscientia seu sub peccato*. Est qui proponit mentionem in ipsis legibus de obligatione sub peccato vitandam esse, quia Codex I. C. ad ordinem iuridicum Ecclesiae pertinet et non debet sermonem facere de peccato. Plerique concordant in admittendo Codicem leges quidem ferre debere, sed non debere statuere obligationem legum sub peccato. Caeterum, ut notat Ill. mus secretarius coetus, obligatio legis in conscientia, non provenit ex ipsa lege positiva, sed ex lege divina, vi cuius Ecclesia, ergo et eius ordo canonicus, imponitur.

2. CANONES CODICIS

Can. 8

§ 1: « Leges instituuntur, cum promulgantur »: relinquitur textus uti est, sine ulla mutatione aut additione: omnes concordant.

§ 2: « Lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet ». Ab omnibus admittitur propositio ab Ill.mo secretario facta, scilicet ut affirmatio de legis indole territoriali aut personali solummodo postea habeatur et quidem *de solis legibus particularibus*. Solae enim leges particulares possunt esse aut territoriales aut personales. In universa historia huius quaestionis quaestio de indole territoriali aut personali legum ponitur solummodo per respectum ad leges particulares, non autem per respectum ad leges universales Ecclesiae. Affirmatio Codicis, in can. 3, § 2, quae est omnino generalis et respicere etiam videtur leges universales, ansam praebuit diversis declarationibus: iuxta quosdam, leges universales omnes sunt personales (ita nonnulli), dum iuxta alios, leges universales sunt territoriales (ita alii); dum iuxta alios leges universales sunt simpliciter universales et de iisdem poni non potest quaestio utrum sint personales aut territoriales (adhuc alii). Itaque supprimenda est § 2 huius can.

Can. 9

De promulgatione et vacatione legis ecclesiasticae. Ill.mus quidam Consultor proponit ut distinctio fiat inter promulgationem et divulgationem; conqueritur quod notitia legis pontificiae fit per publicationem in Ephemeridibus « Osservatore Romano », qua in Urbe publici iuris fit textus legum, dum in aliis regionibus notitia legum communicatur per Sedes rebus pervestigandis (Agenzie); necessarium est, iuxta eum, ut notitia legum imprimis mittatur Episcopis, scilicet Episcoporum Conferentiis, ante omnem publicationem in « Osservatore Romano » et ante omnem communicationem dictis « Agenzie »; raequiritur, iuxta eundem, ut leges eodem die in omnibus mundi regionibus publici iuris fiant. Est qui notat promulgationem in AAS esse actum officialem et inde ab hac promulgatione incipere legis vacationem. Ad mentem alterius Consultoris, expedit quidem ut quaedam notitia Conferentiis Episcoporum curetur, ut scilicet praevia notitia legis promulgandae communicetur Conferentiis episcopalibus, et ut lex nonnisi die promulgationis statuto publici iuris fiat. Cum eo conveniunt duo Consultores. *Textus novus* inserendus in § 2 huius can. 9 proponitur, licet Consultor qui proeviam notiam exigit,

praeferat nullum textum addendum. Ab aliis quibusdam admittitur proponi posse textum sequentem, addendum sub § 2: « *Textus harum legum tempore opportuno communicabitur omnibus Episcoporum Conferentiis, et si leges specialiter respiciant religiosos, etiam Supremis Religionum moderatoribus, ut inde ab eodem die ac in Urbe in variis territoriis publici iuris fieri valeat* ».

Ad eundem can. 9, proponitur ut in § 1 dicatur: « *Leges universales Ecclesiae promulgantur per editionem etc.* », quia praescriptum huius can. de omnibus legibus universalibus valet, non tantum de iis quae sunt ab Apostolica Sede latae.

In hoc can. 9, § 2 adderetur ut supra exponitur.

Tandem § 3 inserenda proponitur de legibus ab inferioribus legislatoribus latis, et quidem ut sequitur: « *Leges ab inferioribus legislatoribus latae promulgantur iuxta modum ab ipsis his legislatoribus determinatum et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto* ».

Can. 10

« *Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur* ».

Iuxta omnes, maneat textus uti est; ubi de quibusdam materiis postea agitur, pressius determinari debet vis canonis, aut statui potest specialis ordinatio.

Can. 11

De legibus irritantibus et inhabilitantibus, ab omnibus admittitur suppressi debere verba « *vel aequivalenter* ».

Canon ergo ita sonaret: « *Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur* ».

Can. 12

De iis qui tenentur legibus mere ecclesiasticis. Quidam aestimat textum ita mutandum esse ut statuatur legibus mere ecclesiasticis teneri solos baptizatos in Ecclesia catholica; insuper censet leges urgendas non esse erga eos catholice baptizatos qui extra Ecclesiam adoleverunt: in votis eiusdem est ut hoc principium generale in Codice inscribatur.

Alii omnes aestimant talem dispositionem admitti non posse, quia agitur in canone de subiectis qui obiective legibus ecclesiasticis tenentur; admittunt talem dispositionem de legibus particularibus in certis locis statui posse, non vero de legibus ecclesiasticis in genere.

Textus itaque huius canonis manet uti est in Codice.

Quaerit aliquis utrum sermo fieri debeat de subiecto legis naturalis et divinae positivae. Alii omnes censent nihil de hoc esse statuendum.

Quaeritur etiam utrum determinari debeat *communitas capax legis recipiendae*. Iuxta quatuor Consultores, nulla dari debet determinatio; contra est qui aestimat determinationem dari debere. Proponitur ut postea de hac quaestione iterum agatur et forsitan paretur textus proponendus.

Can. 13

Regula generalis de iis qui tenentur legibus universalibus et legibus particularibus.

Ad § 1 huius canonis dici debet, omnibus consentientibus: « Legibus *universalibus* tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt ». Leges enim universales opponuntur particularibus, quae pro quodam territorio tantum valent, dum generales leges sunt quae pro omnibus christianis valent, et opponuntur legibus specialibus, quae ligant tantummodo certas classes personarum.

Ad § 2 huius canonis proponitur textus: « Legibus *autem universalibus* quae in certo territorio non vigent, non tenentur ii qui in hoc territorio degunt, sive sint subiditi sive sint peregrini ». Ordo dicendorum videtur magis logicus.

Ad § 3 huius canonis: inserendus proponitur textus, qui in Codice habetur sub eodem can. 13, § 2.

Can. 14

De obligatione peregrinorum legibus particularibus.

Huius canonis § 1 proponitur: « *Leges particulares non praesumuntur personales, sed territoriales* ».

Est qui admitteret praesumptionem potius personalitatis, quia leges respiciunt personas et ad personas diriguntur. Cui respondetur omnes leges dirigi ad personas, non ad territorium, sed per vocem « territorialis » definiri personas ad quas diriguntur. *Alii omnes* aestimat praesumptionem territorialitatis, quae semper in historia admissa fuit, servari debere, quoad leges particulares.

Huius canonis § 2 respondet § 1 canonis 14 Codicis. Sed mutationes quaedam proponuntur.

1) *Ad 1.* - Proponitur ut conservetur textus uti est: conveniunt omnes.

2) *Ad 2.* - Disputatur utrum determinari debeat formula « *iis exceptis quae ordini publico consulunt* ». De sententia cuiusdam Consultoris expressio est nimis indeterminata, et alia formula eligenda est, aut locutio Codicis determinari debet. De sententia duorum sociorum coetus, locutio servanda est, uti iacet quia per doctrinam locutio satis determinata est. Iuxta alios duos socios, servanda est locutio uti iacet, quia recepta est et magis determinari nequit in ipsa lege. Accedit adhuc alius qui censet locutionem servari posse. Maior itaque pars membrorum aestimat locutionem servari debere. Instat qui formulam melius determinatam expetivit arguens in quantum possibile tollendas esse possibilitates discussionis et obscuritates in iure. Est qui respondet in hoc casu, rem esse relativam et ideo locutionem generalem servandam esse: est, ait, solutio prudentialis. Itaque servatur haec formula, sine mutatione. Ab Ill.^{mo} secretario proponitur, si quaedam mutatio introducenda sit, textus sequens: « *Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae actuum sollemnia determinant, aut quae res immobiles in territorio sitas respiciunt, aut quae ordini publico consulunt, scilicet quae ita bono communitatis sunt necessariae ut earum violatio a quibuscumque admissa eidem damnosa esse possit* ». Exceptio quoad leges quae respiciunt res in territorio sitas semper in doctrina admissa est. Ad locutionem ordinis publici quod attinet, determinatio proposita ea est quam plerique ante Codicem scriptores admittebant. Admittitur ergo textus propositus.

Ponitur quaestio utrum etiam statui debeat *exemptos* teneri legibus quae ordini publico consulunt. De sententia omnium, haec quaestio non in hoc loco tractari debet, sed sub titulo de Religiosis.

Huius §, numerus 3 supprimitur, quia habetur in can. 13.

Huius canonis § 3 respondet canonis § 2 Codicis, quae ita mutatur ut loco verbi « generalibus », admittatur « universalibus ». Textus itaque est: « Vagi obligantur legibus tam *universalibus* quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur ».

Can. 15

De vi legis in dubio iuris et facti.

Ad canonis pars: omnibus consentientibus, textus servatur uti est in Codice.

Ad canonis pars: proponit Consultor quidam ut etiam in dubio facti lex positiva non urgeat, salva tamen nullitate actorum et inhabilitate personarum dubio facti seposito », quia facile dubium facti con-

vertitur in dubium iuris. *Alii omnes* contrarii sunt huic propositioni, aestimant servandum esse textum, sed aptatum dispositioni Decreti « Christus Dominus », n. 8, ita ut textus sit: « *Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Episcopi dioecesani, et etiam alii Ordinarii, nisi agatur de dispensatione quam Suprema Auctoritas sibi aut alii auctoritati reservaverit* ».

Can. 16

De effectu ignorantiae et erroris.

Ad canonis § 1. Proponitur ut non tantummodo sermo fiat de ignorantia, quae excusat, sed etiam de aliis causis quae excusare possunt. Insuper, admitti non potest quod dicatur ignorantiam non excusare a legibus irritantibus et inhabilitantibus, quia ignorantia excusat a culpa, sed minime impedit effectum harum legum irritantium et inhabilitantium. Unde, omnibus consentientibus, admittitur textus novus: « *Ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium sicut et aliae causae imputabilitatem minuunt vel tollunt, licet a culpa excusare possint, earundem tamen affectum minimo impediunt, nisi aliud expresse statuatur* ».

Ad canonis § 2. 1) Proponitur textus ut sequitur: « Ignorantia vel error circa legem *disciplinarem et poenalem* aut circa poenam *tantum*, necnon circa factum proprium *vel subditorum*, aut etc. » Ratio est claritas textus et praescriptum can. 2229, § 3, 1°, ratio alterius partis est Decr. S. Congr. Concilii d. 22 martii 1950 et officium Superioris. Attamen *alii omnes* sunt contrarii huic mutationi textus: textus est clarus: ignorantia circa *legem* complectitur ignorantiam circa legem disciplinarem et poenalem; insuper admitti non potest Superiorem praesumi debere cognoscere facta omnium subditorum: quomodo praesumi posset Episcopum cognoscere omnia facta suorum subditorum? Ergo remanet textus huius § 1 uti est in Codice.

2) Proponitur ab alio Consultore ut nulla statuatur praesumptio: si consideratur multitudo legum, dici non potest quod ignorantia legum non praesumitur. Ad quid sustinenda est fictio iuridica? *Alii omnes* censent praesumptionem de non ignorantia legum esse servandam: secus iudex probare deberet subditum non ignorasse legem, quod esset onus impossibile; caeterum nullam statuere praesumptionem aequivaleret affirmationi quod ignorantia praesumeretur, et hoc esset eversivum totius ordinis iuridici. Quare textus § 2 servatur ut est in Codice.

Can. 17

De interpretatione legis.

Ad § 1 huius canonis, conveniunt omnes supprimi posse verba « eiusve successor », quia non moritur legislator. Igitur textus § 1 esset: « Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas interpretandi fuerit ab eodem commissa ».

Ad § 2 huius canonis, proponit unus e consultoribus ut initio huius § dicatur: « Interpretatio authentica, si verba legis in se certa declaret tantum, datur *per modum rescripti generalis* et valet retrorsum »; et non requiritur ut dicatur quod habet eandem vim ac lex ipsa, quia talis interpretatio removel tantum dubia subiectiva, non tangit legem. Contra eum *omnes alii* sustinent textum § 2 servandum esse: interpretatio authentica legis fit *per legem* interpretativam, minime per rescriptum; caeterum rescriptum est particulare et non valet pro integra communitate. Cum necessario per legem fiat, proponitur a quodam Consultore ut initio § dicatur « Interpretatio authentica *seu* per modum legis exhibita ... ». Quod admittitur.

Ad § 3 huius canonis, iuxta communem sententiam, servari potest textus Codicis.

Can. 18

De interpretandis normis.

Proponitur ut loco verborum « ad locos Codicis parallelos » verba adhibeantur « ad alias leges ecclesiasticas, de eadem materia, si quae sint »; proponitur ab alio ut omnes fontes interpretationis ut principales, aequo iure, nominentur, nec ulli sint subsidiarii. Contra eosdem *plerique*, scilicet alii omnes, aestimant textum esse clarum et optimum et servandum esse.

Can. 19

De stricta aut lata interpretatione.

Ad hunc canonem, animadvertit quidam difficultatem inesse in expressione « quae liberum exercitium iurium coarctant ». Quaerit alius an strictae interpretationis sit sola lex poenalis an etiam lex disciplinaria? Cui respondetur manifeste agi de sola lege poenali ipsa, scilicet « quae poenam statuit ». Post discussionem, conveniunt omnes textum servandum esse, quia quoad substantiam servari debet, et mutatio in

terminis adhibitis declareretur ut mutatio substantiae. Ergo textus huius canonis remanet uti est.

Can. 20

De supplendo silentio legis.

Post discussionem aliquam inter consultores, conveniunt de textu sequenti admittendo: « Si certa de re desit expressum legis sive *universalis* sive particularis praescriptum, *causa legitime proposita aut introducta*, nisi sit poenalis, *dirimenda est secundum consuetudinem canonice inductam; quae si deficiat, norma causae applicanda constitui debet attentis legibus* latis in similibus; generalibus iuris *canonici* principiis cum aequitate servatis; *iurisprudentia ecclesiastica, praesertim* stylo et praxi Curiae Romanae; communi constantique doctorum sententia ».

Can. 21

De legibus latis ad praecavendum periculum commune.

Omnibus consentientibus, textus servatur uti est in Codice.

Can. 22

De lege posteriori quae obrogat priori.

Post discussionem aliquam, parvae mutationes introducuntur in textu, servata tamen substantia textus, ita ut textus propositus sit: « Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut si sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed (firmo praescripto can. 6, n. 1), lex *universalis* nullatenus derogat *locorum iuri particulari nec personarum specialibus statutis*, nisi aliud in ipsa expresse caveatur ». Ita clarius indicatur legem universalem per se non derogare legibus et consuetudinibus particularibus locorum nec specialibus statutis personarum.

Can. 28

In dubio legis prioris revocatio non praesumitur.

Contra textum huius canonis arguit aliquis, aestimans contrariam dispositionem esse admittendam, scilicet vi cuius lex prior trahenda esset ad legem posteriorem, quia lex posterior semper praesumitur melior quam lex anterior. Sed contra eum *alii omnes* arguunt quaestionem esse de *dubio* utrum lex posterior intendat contradicere priori, et in dubio praesumptionem dari non posse quod legislator intendit mutare disciplinam. Quare servatur textus Codicis uti est.

Can. 24

De praeceptis.

Quaestio movetur utrum etiam hic quaestio esse debeat de praeceptis quae feruntur in Congregationibus religiosis, non exemptis, quae, iuxta quosdam, dantur ex potestate publica quadam.: definienda esset haec potestas publica. Secundum propositionem ab aliquo factam, quaestio remittitur ad aliam ulteriorem discussionem: praecepta non sunt leges, sed, praecepta singulis data si sint, sunt certo actus administrativi; ergo requiritur ut sub titulo speciali, non sub titulo de legibus, de praeceptis tractetur.

II.

AD DISCIPLINAM « DE CONSUETUDINE » QUOD ATTINET

Quaedam quaestiones moventur:

1) in can. 25 statui debet consuetudinem vim suam obtinere solummodo a consensu *legislatoris competentis* (loco « Superioris competentis »): omnes conveniunt.

Omnis consuetudo, ut introducatur, requirit in communitate *animum iuris inducendi*, sive sit consuetudo contra ius sive sit consuetudo praeter legem canonicam: omnes conveniunt.

3) Quaestio movetur utrum communitas capax inducendi consuetudinem magis determinari debeat: nam disputatur de sensu verborum « Communitas capax legis recipiendae ». Nonnulli aestimant hanc communitatem pressius determinandam non esse. Alii, censent magis determinandam esse hanc communitatem. Est insuper qui aestimat quod melius esset si communitas determinaretur, sed formulae quae proponuntur clariorem rem non reddunt. Quare petunt consultores ut Secretarius adiunctus tentet aliquam formulam redigere, quae in proxima sessione proponetur.

4) Ordo dicendorum magis logicus esse debet, et proponitur ut textus « de consuetudine » noviter ordinatus prius paretur a Secretario adiuncto. Qui in ultimo conventu huius sessionis novum vel noviter ordinatum textum proponit; qui textus, quibusdam tantum mutatis, ab omnibus admittitur. Textus est sequens:

Can. 25

Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu *competentis legislatoris* unice obtinet.

Can. 26

§ 1. *Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino sive naturali sive positivo contraria.*

§ 2. *Nec vim legis obtinere potest consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis.* Consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

Can. 27

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae cum animo iuris inducendi a communitate legis saltem recipiendae capace servata fuerit.

Can. 28

Nisi a competenti legislatore specialiter fuerit probata, consensu nempe expresse aut tacite manifestato, consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut praeter legem canonicam vim legis obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos servata fuerit; contra legem vero canonicam quae contineat clausulam futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Can. 29

Consuetudo est optima legum interpretis.

Can. 30

Firmo praescripto can. 5, consuetudo, *sive contra sive praeter legem*, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iis mentionem *faciat*, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex *universalis* consuetudines particulares.

Animadvertatur:

- 1) ordinem expositorum esse magis logicum;
- 2) de consensu omnium, admissum esse quod consuetudo potest a legislatore probari *per specialem consensum*, qui dari potest sive expresse sive tacite, sed qui debet esse manifestatus;
- 3) de consensu omnium admissum esse consensum legalem haberi post viginti annos (loco quadraginta) continuos et completos.

TEXTUS RECOGNITUS UT PROPONITUR

TITULUS I

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

Can. 8

Leges instituuntur, cum promulgantur.

Can. 9

§ 1. Leges Ecclesiae universales promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exerunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2. Textus harum legum tempore opportuno communicabitur omnibus Episcoporum Conferentiis, et si specialiter religiosos respiciant, etiam Supremis Religionum moderatoribus, ut inde ab eodem die ac in Urbe, in variis territoriis publici iuris fieri valeant.

§ 3. Leges ab inferioribus legislatoribus latae promulgantur iuxta modum ab ipsis legislatoribus determinatum et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto.

Can. 10

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

Can. 11

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur.

Can. 12

Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.

Can. 13

§ 1. Legibus universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. Legibus autem universalibus quae in certo territorio non vigent, non tenentur ii qui in hoc territorio degunt, sive sint subditi sive sint peregrini.

§ 3. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

Can. 14

§ 1. Leges particulares non praesumuntur personales, sed territoriales, nisi aliud constet.

§ 2. Peregrini:

1) Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quandiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales.

2) Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae actuum sollemnia determinant, aut quae res immobiles in territorio sitas respiciunt, aut quae ordini publico consulunt, scilicet quae ita bono communitatis sunt necessariae ut earum violatio a quibuscumque admissa eidem damnosa esse possit.

§ 3. Vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

Can. 15

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Episcopi dioecesani, et etiam alii Ordinarii, nisi agatur de dispensatione quam Suprema Ecclesiae Auctoritas sibi aut alii auctoritati reservaverit.

Can. 16

§ 1. Ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium, sicut et aliae causae quae imputabilitatem minuunt vel tollunt, licet a culpa excusare possint, earundem tamen effectum minime impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Can. 17

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica seu per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrahitur et debet promulgari.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

Can. 18

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelus, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Can. 19

Leges quae poenam statuunt aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Can. 20

Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum, causa legitime proposita aut introducta, nisi sit poenalis, dirimenda est secundum consuetudinem canonice inductam; quae si deficiat, norma causae applicanda constitui debet attentis legibus latis in similibus; generalibus iuris canonici principiis cum aequitate servatis; iurisprudentia ecclesiastica, praesertim stylo et praxi Curiae Romanae; communi constantique doctorum sententia.

Can. 21

Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.

Can. 22

Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut si sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed, (firmiter praescripto can. 6, n. 1), lex universalis nullatenus derogat locorum iuri particulari nec personarum specialibus statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Can. 23

In dubio revocatio legis praeexistens non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

TITULUS II

DE CONSUETUDINE

Can. 25

Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis legislatoris unice obtinet.

Can. 26

§ 1. Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino sive naturali sive positivo contraria.

§ 2. Nec vim legis obtinere potest consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis. Consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

Can. 27

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae cum animo iuris inducendi a communitate legis saltem recipiendae capace servata fuerit.

Can. 28

Nisi a competenti legislatore specialiter fuerit probata, consensu nempe expresse aut tacite manifestato, consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut praeter legem canonicam vim legis obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos servata fuerit; contra legem vero canonicam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Can. 29

Consuetudo est optima legum interpretis.

Can. 30

Firmo praescripto can. 5, consuetudo, sive contra sive praeter legem, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iis mentionem faciat, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex universalis consuetudines particulares.

(W. ONCLIN, Secretarius adiunctus)

